



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

XII. De memoria Dominicæ passionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

CAP. XII. De memoria domi-
nica passionis, contra dis-
solutos.

BEati qui lugent, quoniam i-
psi consolabuntur. A quo? *Matt. 5.*
certe à Christo in secreto cordis,
non de hoc mūdo in vanis rebus.

Levia enim & jocosa verba &
frequens risus, non congruunt
sacræ passioni Christi et amarif-
simis vulneribus ejus.

Si enim haberem unam acu-
tam spinam de corona Jesu in
capite meo; aut in dorso meo
transfixam, nunquid riderem?
Minime, sed præ dolore magis
flerem, et alte clamarem.

Si etiam unum clavum crucis
in pede haberem, quo irem et
currerem? Nusquam utique irem
aut currerem; sed magis sederem
et dolerem; et per experientiam
dolorum meorum, Christo com-
pati discerem.

Et utinam amarissime possem
flere, in remissionem omnium pec-
catorum meorum. O quam sanctus
dolor et dulcis fletus, ex com-
passione sanctorum vulnerum Do-
mini

Male ob-
veniunt
delecta-
tio car-
nis, & me-
ditatio
Domini-
cæ Pas-
sionis.

mini nostri Jesu Christi largiter effusus!

Contra
tentatio-
nes cer-
tissimum
in passio-
ne Christi
reme-
dium.

2. Quando ergo gravaris, aut tentaris, aut infirmaris; recurre cito ad orationis scutum, & sanctæ crucis vexillum, & in sanctorum vulnerum Christi fixuris, quære vitiorum tuorum salutiferam medicinam, per devotam orationem & seriosam passionis ejus recordationem.

Pondera sanctæ crucis magnitudinem, longitudinem, & altitudinem, in quo Jesus Christus pependit nudus, diris clavis pro te confixus.

Numera attente, quàm multæ acutæ spinæ in corona Domini fuerunt, quæ sanctum verticem capitis Filii Dei tam acriter punxerunt, & largissime cruentari fecerunt.

Pone hæc & cætera arma passionis Jesu Christi juxta te, pro bona custodia diei ac noctis, ne invidus hostis diabolus inveniat te vacuum à divinis imaginibus, & inquinet cor tuum sordidis picturis & urticis.

Strati
mollities

3. Sit tibi proinde lectulus
tuus

tuus sine plumis, in memoriam sanctæ nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quasi angustum & pauperculum præsepe, virtutibus plenum; in quo puer Jesus vagiebat in cunabulis, pannis involutus, modico fœno pro serico pallio tectus, parvoque lacte Matris Virginis resectus.

respuen-
da exem-
plo Chri-
sti in præ-
sepio,
Cruce &
sepul-
chro po-
siti.

Sit duritia & vilitas culcitæ tuæ, recordatio quædam duri & lapidei sepulchri Domini nostri Jesu Christi pro te crucifixi & vere mortui, & in corde terræ sepulti, ac grandi lapide clausi.

Hic ergo in pace Christi quiesce, omnium oblitus quæ sunt in mundo; omnia reputans vilia & pro nihilo, quæ magna videntur & jucunda, ut cum eo resurgas nunc in virtutibus & gratia, & in novissimo die cum Electis in gloria sempiterna. Amen.

CAP. XIII. *De invocatione sancti nominis Iesu, & beatæ Mariæ Virginis matris ejus.*

Dirige Domine Deus meus, *Psal. 50.*
in conspectu tuo viam meam.
Pp Viæ